

Beiheft

2

S 119

1286 Mai 16.

119
[59]

Bischof Everhard von Münster bekundet die Auflassung der Güter Swarte Cote und Luttkehove, Kppl. St. Lamberti in Coesfeld, an das Stift Barlar.

Nos Everhardus, Dei gratia Monasteriensis ecclesiae episcopus, omnibus praesentia visuris et auditoris notum esse cupimus et praesentibus protestamur, quod Lefhardus de Morsbecke de consensu Everhardi Riebrachtinc, soceri sui, et Elisabet sororis suae, uxoris dicti Everhardi, ac eorum liberorum et cohaeredum, videlicet Joannis, Lefhardi, Jacobi et Gertrudis, vendidit praeposito ac conventui ecclesiae Varlarensis bona, quae dicuntur Swarte Cote vel Luttkehove, sita in Stockem in parochia sancti Lamberti in Cossfeld, quae iure proprietario ipsi Lefhardo contingebant, cum agris, lignis, pratis et cum omnibus suis attinentiis et juribus, pro tribus marcis et quatuor solidis legalis monetae et in praesentia nostra et Joannis de Dabeke famuli nostra vice praedicta bona coniunctis manibus ab omni jure, quo ipsi vel ipsis competebant vel competere poterant, in futuro penitus recedentes resignationem in manus praepositi et conventus ecclesiae Varlarensis pro pronriis

bonis jure haereditario perpetuo possidenda, domino Luberto Rost infirmario dictae ecclesiae huiusmodi resignationem recipiente nomine ecclesiae et conventus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Acta sunt haec anno Domini M^oCC^oLXXXVI, feria quinta ante ascensionem Domini, praesentibus et protestantibus domino Luberto commendatore in Stenvorde, Joanne notario, Thetmaro plebano in Havixbecke, sacerdotibus; domino Joanne de Rubo et Bernardo de Davenberge militibus; Ludolpho de Monasterio, Theoderico de Gronlo, iudice in Cossvelt, Alberto de Morsbecke, Hermanno de Lare et Colen famulis; villico de Wichardine, Joanne, Fabio et Scogen de Assbecke et aliis quam pluribus.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 57.